

pendentiam quam habet à Deo. dum fit. aut quia prouenit à primordialibus causis. creatis à Deo, aut vt distinguitur à Creatore: imò verò cū ad creationem solus Deus concurrat, & tamen ad productionem effectuum ipsa causa fecunda etiam concurrant, certe nullus effectus causae fecundae deberet dici creatura.

Ad confirmationem concede maiorem de independentia quoad conseruationem, nega quoad ipsum produci. Aut dic. quòd sicut principium productiuum quoad vsum, seu exercitium suae virtutis est independens à Deo, ita effectus, qui fit per illum vsum virtutis actiuae fit independens immediatè à Deo quoad suum fieri. secus quoad suum conseruari. Ex his omnibus existimo satisfactum esse rationibus pro communi illa opinione immediati concursus Dei, quarum nonnullas iam attulerat, & soluerat Hurtadus de Mendosa *disp. 10. Physica sect. 2.* sed ne quidem ad eius solutiones attendimus: quare nostrae cum eius responsis non coincident, vt legenti patebit.

#### CLYPEVS QVARTVS.

*Respondetur rationibus de medio tollentibus immediatum concursum Dei cum causis secundis.*

*Num. 15. Soluuntur rationes negante immediatum concursum Dei.*  
*Ad primū.*

Ad argumenta Aureoli respondet Arimnensis, quòd si per deformitatem intelligatur aliqua entitas, ad illam Deus concurrat. Alij tamen negant deformitatem esse entitatem, sed aiunt esse ipsum et actum, in quantum deformis est, & contra rectam rationem, & vt sic est à solo homine.

*Ad secundū.*

Ad aliud respondet, quòd sequatur determinationem voluntatis, non quòd determinatio voluntatis sit aliqua entitas distincta à voluntate, & eius actu, nec etiam intelligendo, quòd prius natura voluntas agat: sed in hoc sensu Deus dicitur sequi determinationem voluntatis, quia ideò Deus agit illum actum, quia voluntas agit, nec ex eo quod Deus agit, voluntas agit; vnde magis propriè dicitur Deus coagere voluntati, quàm voluntas coagere Deo, nec propterea Deus coagit peccato formaliter sumpto.

*Ad tertium.*

Ad tertium principale negat antecedens, & ad auctoritates illas dicit non debere eas intelligi exclusiue; licet enim causae secundae operentur, hoc tamen non excludit immediatum concursum diuinum.

*Ad quartū.*

Ad quartum ait, etsi posset Deus communicare vim potentiae se sola producendi effectum, non sequi illam vim de facto communicasse.

*Ad quintū.*

Ad quintum respondet idem fieri à duobus, vniūque effectum posse habere causas plures totales totalitate relatā ad effectum, id est caufantes totum effectum.

*Alia responsiones ad praedicta argumenta.*

Respondet verò Argentina ad principalia dicta Aureoli, & praesertim ad istud: omnis defectus culpabilis, qui reperitur in actu, imputatur agenti &c. quo etiam argumento vtitur Durandus. Respondet, inquam, negando maiorem, quando actus talis non est praesise ab vno agente, quando enim est à duobus, vt in praesenti, quorum vni repugnat deficere, & alteri non,

tunc entitas huiusmodi effectus, sic reducitur in agens non potens deficere, quòd tamen defectus eius nullatenus reduceretur in ipsum, sed in alterum? & hac responsio est magis ad argumentum Durandi, quàm Aureoli.

Vnde postea ad argumentum Aureoli magis in forma respondet, dum dicit, quando aliqua sunt inseparabiliter annexa, quod concurrat ad vnum, concurrat & ad aliud &c. concedit maiorem, loquendo de causa per se, negat verò de causa, sine qua non, vnde concedit Deum esse causam sine qua non ipsius peccati.

Respondet quoque Socinas in Epith. Capreoli in 2. *disin. 26.* ad argumenta Aureoli, dicendo, quòd aliqua negatio, vel priuatio possit dupliciter consequi actum, primo ex ipsa natura actus; secundo tantum ex relatione ad agens, quatenus nimirum egreditur ab agente, cui lex praefixa est, & regula ad actum oppositum, concedit ergo maiorem probationis argumenti, si intelligatur de priuatione secundo modo, sed negat minorem.

Ad secundum principale respondet quantum ad omne positium, quod est in actu peccati, actionem voluntatis esse posteriorem actione Dei in producendo, & Deum eam determinat ad omne positium; non autem ad deformitatem. Ad tertium respondet illum effectum posse esse tototaliter à duabus causis subordinatis, qualis est causa secunda subordinata primae.

Ad argumentum verò Durandi respondet negando maiorem, nisi tale agens debeat, teneaturque vitare talem defectum, & causare oppositum eius, & nisi velit aliquo modo illum defectum, atqui ista in Deo locum non habent: negatur etiam maior, ait, quando talis defectus non consequitur actum ex natura eius, sed solum ex relatione ad aliquod principium. Scio R. P. Raynaudum respondere ad illud de peccato, & de determinatione, an videlicet Deus determinet voluntatem, an ipse determinetur ab ea? sed quia, vt accepi, Sequanus Theologus aperto nomine ipsi respondet in opere, ante praesens lucem visuro, idcirco in alienas menses salcem non immitto, sicut nec alienis querelis me immisceo, nec enim animus est ad hominem agere, quod faciunt praedicti RR. PP. Raynaudus & Sequanus Theologus, sed tantum quòd nobis probabilius videtur, sincerè, & absque vilo animi motu proponere, nunc superest, vt ad alia argumenta soluenda deueniamus; praedicta enim fuerunt argumenta Aureoli, & ex mente citatorum soluta.

Ad sextum negabitur superfluitas dicti concursus.

*Ad sextam.*

Ad septimum dicitur per diuersam actionem concurrere, & hac responsio debet esse Thomistarum, cum dicant concursum Dei praedeterminare causam secundam. Qui verò dicunt illum concursum esse simultaneum, Respondent eadem actione concurrere, quatenus consideratur vt dependens à Deo, dicitur esse concursus Dei, quatenus verò dependens à creatura dicitur esse concursus creaturae. Ad cetera illius rationis dicitur ealorem vt septem posse calefacere vt sex, supposito tamen concursu diuino.

*Ad septimam.*